


DECORUM
ET
URBANITAS
MORUM
JUVENTUTEM VITÆ
POLITÆ STUDIOSAM
EXORNANS
VIRISQUE HONESTIS,
tam intra quàm extra Principum
aulas plurimùm commendans.
EX
ASTIOLOGO
CHRISTIANO
Pridem Italicè, Gallicè, Latinè
vulgato.




Cum facultate Superiorum.

DILINGÆ,
FORMIS ACADEMICIS
Apud JOANNEM FEDERLE.
M. DC. LXX.







AD LECTOREM.

DVo potissimè sunt, quorum gratia Ingenui Parentes, in Academias, & Christiana litterarum Emporia, suos ablegare liberos insueverunt: Primum, ut Ingenium illi suum ac indolem, quam ab Naturâ rerum pulcherrimarum inopem acceperunt, multivario Scientiarum Thesauro diuitem ac opulentum facere contendant: Alterum, ut Pietatem, quæ cum paucissimis hodie nascitur; & quicquid est ad veræ virtutis decus, id, velut regiam è terrâ gemmam, quanto ma-

to maximo possunt impendio, sibi conquirant: atq; sic demum, post immensam laborum juxta & pecuniarum profusionem, è peregrinis terrarum oris, non tam ad suos Eruditi, quàm Boni revertant; cambio, ut sic dicam, verè illustri, ac nullis unquam Parentibus pœnitendo. Sed enim, tanquam sine voce statua, vel absque togâ simulacrum; sic Virtus, sic Eruditio, nisi utrisq; adijcias illud, quo nec gratum esse alterutrum, nec decorum potest. Quid illud? MODUS *quidam, & velut Linea.*

Quos ultra citraq; nequit consistere rectum: Hoc enim ceu instrumento, omnem Virtutis actionem moderantes, in sua illam Orbita, ac regno continemus; ne vel ipsa sibi, vel alijs, inter quos agimus, molestior possit accidere

ac

ac injucunda: quam proinde normam, ac velut cœlestem. Actionis humanæ virgulam, ubi amiseris, necesse est, ipsam quoq; virtutem, multis licet sudoribus comparatam, amiseris.

MODUS *verò hic ipsus, quia alius esse atq; alius, inter tam dispares solet, pulcherrimo nuper artificio, ad Boni communis epitomen est revocatus; è quâ velut amussi, quotquot deinceps suas vitæ actiones cum industria metientur, nihil illi formidare habebunt vetus illud, quod Musicis quodam cavillo non inepto, opprobrasse unicum ferant: Citharæ chordas aptatis,* MORES *animi negligitis.*

Et prodijt libellus hic, quem vides, in Galliâ primum, plenus elegantiarum gentis ejus documentis: quas verò, ut in nostris quoque provincijs, non tam

imitari possemus, quàm admirari, Visum est, prælo typisq; lubentibus iteratò subijcere; atq; ita propemodum uti ab suo primùm auctore natus; ne nimirum id nobis accideret, quod Imperitis sæpe Chyrurgis solet, qui vulnus faciunt, dum medentur.

Vos, quorum Bono, ac studio singulari labor hic consecratur, ita vestram annis sequentibus rem instituite, ut in vobis ipsi quondam, priscum illud Fabij agnoscatis.

Plura moribus, quàm viribus vincimus.


Nam tametsi laude plenissimus sit, Doctrinâ ceteros antecellere; ac longè pulcherrimum, Virtutibus antelucere, est tamen, mihi credite, inter duo hæc verè MAGNA.

Majus Opus, MORES *composuisse suos.*

IN-



INDEX CAPITVM.



ASTIOLOGI CHRISTIANI.

De Christiana Morum VRBANITATE.

CAPVT I.

Cultus Divinus.

DOCUMENTUM. I.



ST hæc in primis Chriſtianæ virtuti conſentanea cura, ſtatim, ut quiſque ſomno relaxatur, atque è lecto conſurgit, animum ad Deum advertere; eius Numini, actis de nocturnâ quiete gratijs, mori-

morigerum in servum offerre sese, non tenendæ tantùm consuetudinis causâ, sed studiosâ & attentâ pietate.

II. Inter orandum, præsertim loco publico, interque non solennis Missæ sacrificium, illius dico, quæ solemni cantu, & celebritate non extrahitur, nec considendum, nec ullam in partem gravi corpore est incumbendum, nisi quà fortè imbecillitas gravior, aut proclinandi corporis, aut sessitandi etiam necessitatem afferret; quæ si aderit, tamen illa usurpanda erunt modestè ac silenter, tum quan diu tenebit res sacra, tum sacratiore curâ, ipso jam tempore Consecrationis. Porrò quoties pronis genibus est suppli-

candum, vtrumque in terram submittendum est,

III. Per Missam solennem, standi, sedendi, in genua cubandi, qui in Ecclesia usus est, is unicuiq; decori lex esto. In Missa soluta cantu, ac privata, ad solum Evangelium statur, reliquâ omni parte genibus religiosè nitimur,

IV. Vt Templum intratur, illicò silentio, atq; aperto capite Deo Optimo Maximo, summum altare versus, reverenter honos habendus est; tùm adhibitâ sibi aquâ lustrali, adeunda orationis causa Ara maxima, illáve, ubi sanctissimo Sacramento sedes est, ehinc altaria, sacráve signa cætera,

tera, vt piorum mos, & cujusque religiosus ardor tulerit.

V. In Templo, oculi ne temerè huc illuc circumagantur, socij ne pulsentur, stringantúrve; fabulationibus ne indulgeatur; Preces non sic sonorâ, sic vibranti voce fundantur, ut ab alijs exaudiri possint. Suspiria ne clarè erumpant, compescantur; nihil facere libeat, quod vel offensionem, vel admirationem alijs afferat.

VI. Missæ tempore, Concionis, reliquorum divinorum Officiorum, inambulare in Templo, irreligiosum est. Spatiari autem coram Sanctissimo Sacramento, id verò nullo tempore fas & religio patiuntur.

VII. Ad menſam, cùm aut ſacris precibus initiatur, aut gratiæ Deo aguntur, recto corpore, manibus quietè compoſitis eſt conſiſtendum, nullâ corporis invenuſtâ adminiculatione, nullo oculorum emiſſitio conjectu. Ad nomen JESU, ad Doxologiæ Numinis duos illos verſus *Gloria Patri*, &, *Sit nomen Domini benedictum*, caput reverenter eſt ſubmittendum.

VIII. Sacris divinæ ſcripturæ verbis non abutendum in res profanas aut ludicras.

IX. In Deum, in Sanctos, nec jacienda cognomina, nec dicenda acroamata, ſeu jocò, ſeu feriò.

X. Sacris nominibus JESU, & MARIÆ, vel cùm audiuntur tantùm,

tùm, honorem habento, caput aperiunto, pedibus ne interſtrepunto. in Miſſa quoties pronunciari ea accidit, caput honoris causâ ſubmittunto. In concione, lectionéve publica, ad primam eorum auditionem, & quoties qui prælegit, quíve concionatur, ſibi pileum detrahit, caput nudanto; cæteróqui capitis ſubmiſſione honorem habere ſatis eſto. Cùm menſæ aſſidetur, atq; interea dicit aliquis, legitve, ſatis habento nutu capitis honorem teſtari. Nam id temporis caput detegere nulla Urbanitatis lex cogit, niſi ut homines inter ſe colunt, gravi meritis vel autoritate præcellenti cuipiam id officij neceſſariò eſt tribuendum.

XI. Signo publicè dato ad Salutationem Angelicam, etsi qui circumstant, salutem Virgini non dicunt, dicenda tamen aut positis genibus, aut recto corporis statu, ut aliorum loco illo & tempore exemplum fuerit. Eâ finita, neq; si præsens quispiam tibi antecellit, primum te exurgere, pileúmve tibi indere decorum putes; & ubi consurrexeris, mox ijs, qui astant, salutem tempori aptam dicito, faustam ut diem, aut vesperam ijs comprecans.

XII. Cùm inter viaan Sanctissimo Sacramento occurritur, in genua procumbunto adorandi causâ, dum prætervectum sit; Si nihil prohibeat, ad Templum usque deducunto.

cunto. In equo aut in rheda si erunt, exscendunto.

CAPVT II.

Civilis vitæ generica, ac miscellanea institutio.

DOCUMENTUM I.

OMnis in aliorum conspectu suscepta actio, specimen animi honorificè eos colentis præ se ferat.

II. Fœtidarum rerum sensum, aut memoriam commovere, indecorum est.

III. Coram alijs serva id attentè quoad potes, ne quam ad corporis partem manū porrigas, quæ exposita oculis esse non soleat. Solent autem & vultus & manus. Id consuetu-

ſuetudine ipsâ ut teneas, aſſueſce huic decoro, etiam cùm ſolus es.

IV. Quæ res ſtomachum nauſeâ emovent, eas ſocio ne commonſtres.

V. Tecum tute ipſe ne cantites, niſi tam ſolus ſis, nemo ut abs te alius audiat. Nec pedum autem nec digitorum pulſu tympanótribam agito.

VI. Nec dentes defrica, nec jis ſtride, nec quicquam aliud ita collide, ut horrenti ſtridore ſenſum moleſtè alijs laceſſat.

VII. Illiberale eſt, diductis brachijs corpus pandere, aut horſum illorſum contorquere.

VIII. Cùm tuſſis, cùm ſternutas, ſi regere rem potes, ne magno & vi-

& vibranti sono inconditè instrepe. Suspiria ne ducas quæ alij sentiant, sine gravi causa.

IX. Ne vastè expira, nec ulula oscitando. Si potes, oscitatione penitus abstine, sed tum etiam diligentiùs, cùm aut loqueris, aut loquentibus præsens es. Habet enim id tædij significationem, aut parum comis observantiæ in eos, quibuscum agitas. Si, quin oscites, continere te non potes, saltem ne loquere interim, nec patulo ore hisce, sed pressa illud modestè, seu manu objectâ, seu sudariolo, vultu ab circumstantium oculis modicè averso.

X. Cùm nares emungis, ne buccinæ in modum naso persona,

nec

nec quod elicueris in ſudario reſpecta, nève quod pueri ſordidè faciunt, mucum digitis tibi aut manicâ deterge, ſed in id linteo emunctorio ſemper utere.

XI. Obdormiſcere alijs ſermocinantibus, ſedere dum ſtant, inambulare dum immoti manent, loqui dum ſilendi tempus eſt vel audiendi, res ſunt inurbanæ omnes atque indecoræ. Ei tamen qui cæteris anteſtat, ſunt tempora locaque, quibus in cœtu ſecum inambulare liceat, ut Magiſtro in ſchola, alijsq; talibus.

XII. Non decet in cubiculo cubile eſſe incompoſitum; non in aliorum oculis aut veſtire ſe aut deſpoliare; non cubiculo exire ſemi-

veſti-

veſtitum, aut vittâ pileoq; nocturno redimitum; non ad pluteum; aut omnino in cubiculo ſtare diſſoluto cinctu habituque. Ac tametſi tibi ad manum domi eſt, qui lectum ſternat, tamen cùm ex eo deſilis, ne inconcinnè disjectum & detectum relinquas.

XIII. Dum ſtudes, ſi alij tecum vnà ſtudent, inurbanum eſt cuiquam obſtrepere, aut ſic clarâ voce legere ut interpelles. Eſt & inſcitum ac illiberale, Magiſtro docente legere alia atque agere, ſociósve, quo minus attentè audiant, impedire.

XIV. In ſchola, in concione, alibi, dum audis, ne exultantiùs geſtias, ſapere ut præ cæteris atque intelligens, non ſine aliorum deſpectu, videaris.

XV.

XV. Ad ludum atq; ad focum, diu expectantibus locum non dare, indecorum eſt.

XVI. Cave, ne immodicè ludo incaleſcas, ne ludum contentionibus aut clamoribus miſceas, ne dum calore ardes, interbibas, ſeu calor è ludo exiſtat, ſeu ex itineris labore, ſeu ex opera cauſâve alia. Nam omninò, æſtuantem bibere, inſalubre ac periculoſum eſt.

XVII. Deſpuere in focum, manus calefaciendi causâ, proximè ad ardentes prunas admovere, flammis ingerere, ad ignem, quaſi humi ſedeas, incurvari, invenſtum eſt. Si quid ad ignem coquitur, pedem porro ſupra ignem ne oppandito; honeſto in cœtu tergum tibi

tibi ne calefacito, neu propius, quàm cæteri astant, accedito. Nam hoc Vtrumq; prærogativæ excellentiæ est & autoritatis, Cùm usus ac necessitas non est, focum movere, ligna compulsare, indere, demere, ejus est, qui autoritate polleat, aut cui foci cura commissa sit.

XVIII. Sedendi lex esto, ut pactis in terram pedibus, ijsque & cruribus æquatis sedeas, non aut crus cruri, aut pedem pedi invenustè superponas.

XIX. Vngues nec subsecandi palam, nec verò dentibus sunt demordendi.

XX. Digiti non saliva tingendi, non articulatim distorquendi dispandendive, digitis nasus non

perten-

pertentandus, non converrendus, alijs contuentibus.

XXI. In Caput non quaſſabis, tibias non agitabis, oculos fœdè non diradiabis; ſupercilia inæqualiter non attolles, os non diſtorquebis. Quos alloqueris, eos cum verbis, pytiſmate atque oris ſaliva non complues. Id ne accidat, nulli te in os propiùs offeres, ſed juſto ex intervallo colloquêris.

XXII. Præſente altero, nec pulices confice, nec ſordida id genus animalcula. Quòd ſi ſordidum aliquid humi occurſans tibi oculos laceſſit, quale purulentum ſputum, taléve aliud, id ſi commodè potes, pedum preſſu confunde atque obtere. Sin ejus, qui cum agis, veſtibus

adhæret

adhæret oberrátve, non illi alterive putidè conmonſtres, ſed quoad potes ſic tolle concinnè atq; induſtriè, ut ne ſentiat quidem; qui alius autem ſimile aliquid tibi decuſſerit dempſeritve, comem & gratum animum ei oſtende.

XXIII. Nec porro procul, quaſi jaculo emiſſo, nec poſt humeros eſt excreandum, ſed longiuſculè & in latus, non ulli qui vnà adſit ex adverſo: ac, ſi lentior craſſiorque eſt pituita, pede illico, ſi potes, eſt opprimenda. De feneſtra in ſubjectam viam ne deſpuas, ne in focum, ne in malluvium, ad quod os manusq; colluuntur, neque alium in locum, unde lentor ille pede induci atq; aboleri non poſſit.

XXIV. In congressu cum hominibus, colloquio præsertim, tergum atque humeros eis obvertere, inconditum est. Est & importunū, mensam incursare, pulpitum succutere ubi aut legit quis aut scribit. Est, ad alterum, tanquam adminiculum, adniti; est cui loquaris, cui loqui velis, vestem ducere; est cubito pulsare, indecorum.

XXV. Noli, ut comptulus videaris, inepte in omni sermone vitæq; actu strophiolum aptare tibi, tibialia adducere, reducere, ut bellè quadrent. Vngues ne sordibus oppleti, neu prælongi sunto. Dentium ac manuum munditiam curato, sed sine delicijs ac lautitia.

XXVI. Putidum est inflare genas,

nas, linguam exertare, barbam sibi mulcere, manus confricare, labra distendere aut mordere, pressa arctiùs aut hiulca circunferre.

XXVII. Ne assentéris, nec verbis ductes. Nam qui alterum phaleratis dictis ducere instituit, is ostendit se despicatui eum habere, certè minùs cordatum ac providum credere, quàm idoneum putat, in quo sic illudat. Quem joci offendunt, ab ejus auribus eos facesse.

XXVIII. Contra decorum est, medio in familiari congressu libros, literas, id genus aliud legere, nisi in re necessaria ac tantisper; ac tum etiam veniam præfa-

ri consentaneum est, nisi fortè cæteris, qui tecum sint, authoritate sis superior. Multò ab decoro est alienius, aliena scripta, libros, res generis ejusdem contrectare, applicare se ad ea propiùs, oculos in ea defigere, non annuente eo, ad quem res pertinet; laudare item ea vel carpere, antequam de ijs sententiam rogêris. Alienissimum autem, dum qui tibi vicinus est, litteras, taléve aliquid privatim legit, corporis appulsu aut oculorum conjectu, ejus lectioni imminêre.

XXIX. Vultus ne imaginosus sit & multiplex, severus, admiratione suspensus, mœrore obductus, varius & inconstans; nullâ

denique

deniq; perturbati animi significationem præ se ferat. Tranquillus sit contrà ac serenus, nec serijs in rebus nimiâ hilaritate solutus, nec in familiari & communi vitæ consuetudine, nimiâ subductus gravitate.

CAPVT III.

Congressionum prima officia, salutatio, loci cessio, similia.

DOCUMENTUM I.

ABstinendum quidem est immodicæ urbanitatis intemperanti studio, necessariæ tamen in communi vita atq; opportunæ morum elegantiæ diligenter

ideo ſunt adhibendæ, quòd prætermitti ſine eorum injuria non poſſunt, quibuſcum vivitur.

II. Spectatos honeſtosque viros, ut Deo ſacratos, ut in civili dignitate locatos, ut iſtorum ſimiles, capite aperto veneráre; pilei, quem honoris causâ tibi exemeris, patulâ interiore parte ad te reductâ. Venerare & nonnullo corporis flexu, pro eo ac cujuſque dignitas, & ingenuus bene educatorum mos fieri poſtulat. Vt inſulſa autem res eſt, caput, ſalutandi causâ, non aperire quibus par eſt, aut expectare, dum æqualis tuus te hoc officio antevertat, ſic, cùm non opus eſt, id uſurpare, ſpeciem habet

habet affectatæ urbanitatis. Probrosæ demum inurbanitatis est, respectare an resaluteris. Porro in salute verbis dicenda, forma illa optima esto, quam politiorum hominum consuetudo præcipuè celebrat.

III. Peccat in rationem decori, qui majori se dicere occupat, ut caput tegat; peccat & qui id non dicit cui æquum est, & qui præproperè caput tegit, præsertim viro gravi colloquens, & qui tegere aliquoties monitus, importunè obsequi detrectat: quare post unam alterámve significationem, capitis tegendi omne jus esto, nisi quid aliud receptum usu uspiam sit. Et qui-

dem in consuetudine cum æqualibus majoribúsve, qui aut Religiosi sint aut domestici, fas est æquali minoríve primum ad signum de re ista obsecundare, solent tamen ferè qui vel pares sunt, vel parvo discrimine subjunguntur, vnà omnes caput aperire. Quæ de moderatione hîc annotata, etiam de capiendo loco, & de considendo dicta intelliguntur. Nam immodicæ officiorum deliciæ per quàm importunæ ac molestæ sunt.

IV. Qui aut re, aut hominum opinione altero minor, caput operire æquum bonum ducit, dum qui major est nudo interim capite esse perseverat, primùm hujus

hujus rei veniam poſcat, tum impetrata utatur; quod ſine offenſione tamen vtrumq; fiat.

V. Si ſedenti tibi intérvenit quiſpiam colloquij causâ, aſſurge adventanti; præcipuè ſi id perſonæ ratio exigit, ut ſi quo nomine tibi anteſtat, ſi par, minórve tibi haud admodum eſt familiaris. Si ſedes apud te, ſi ſedile erit, quod quemque decet, ei fac tribuas.

VI. Cùm ijs occurris, quibus te deferre æquum eſt, præter ſolitæ conſalutationis munus, ſubſiſtendum tibi eſt nonnihil, aut regrediendum etiam, maximè ad januarum ingreſſum aut locorum anguſtias, dandusq; eis locus dum prætericrint. VII.

VII. Cùm iisdem si inambulabis, honoratiorem locum eis concedes. Honoratiorem dico, qui ubi deges, talis usu & opinione vulgo habebitur. Generatim; usu receptum videtur apud plures, ut dextera honoris sit index, ita scilicet, ut, quem quis honorat, eum sibi ad dexteram, se ad ejus sinistram astituat. Tres cùm unà ambulant, qui inter eos est ornatissimus, medio loco accipitur; secundas honoris partes ejus dextera, tertias sinistra sibi vendicat. *At in Gallia cùm ad murum inambulatur, quia muri vicinia, & acclivitate superior sæpe est, & ferè tectior ac mundior, passim mos obtinet, ut digniori illa concedatur,*

tur, nominatim cùm soli duo unà iter habent.

VIII. Inter compares aut penè compares tuos, locum ex omnibus commodissimum tibi ne delige. Ad eum invitatus ne pugnaciter resiste. Utere hoc potius modestè & comiter, ut te obsequendi studio, vel contentionibus occurrendi, admittere eum, ostendas; certè de eo gratias agito.

IX. Qui aut [illegible]ate aut dignitate valdè antecel[illegible], si domi suæ locóve alio pri[illegible]atum loci minori deferet, ut non convenit eum, qui minor est, tali se honore dignari, ita neque illo superiorem de eo studiosiùs eum urgere,

aut plus ſemel iterúmve ei deferre, ne precum magnitudo & crebritas, de prudentiæ vel urbanitatis exiſtimatione, recuſanti aliquid detrahat, aut quod non decet, eum facere adigat.

X. At inter æquales, par eſt domi quemq; familiarem æqualem ſuum honorificentiore loco impertire; & qui ſic accipiatur, eum verò decet recuſare primò, mox iteratâ amici petitione, morem gerere, gratiámque habere.

XI. Domeſtica in ambulatione ſimilia tenento. Sat erit tamen principio, dignationis causâ, ſeſe ad amici lævam applicuiſſe; ut fors deinde tulerit,

ſic

sic eunto. Quæ præceptio nec in ambulatione cum majoribus reprehendi posse videatur, ac ubique locorum; quod plurimo in usu erit, id ratum esto.

XII. Qui cum imperio & potestate sunt, quive magistratum gerunt, ijs omni in congressu loco ceditur. Iidem tamen juvenes si erunt, sciant hoc à se expectari, sibi ut nobilitate pares, at longè ætate provectiores, inprimisque Doctoratûs gradu insignitos, etsi rempublicam non gerant, honore colant; immo delatum ab his ornatiorem locum, primùm eis remittant; tum modestè; cum gratiæ testificatione, quasi tributum ab ijs beneficiũ capiant.

XIII. Perhoneſtum eſt, quibuſcum res & colloquia agitentur, eos vocis teſtimonio ſibi anteponere, illuſtres præſertim viros & magnâ præ nobis acceſſione dignitatis; cum quibus nulla unquam eſt ſuſcipienda contentio.

XIV. Cùm primarius ſacrorum Antiſtes, cùm ſummus in Republica Princeps, cùm ſimili dignitatis luce conſtituti obvij fuerint, eſt uniuſcujuſque benè inſtituti, pro eo atque ipſorum dignitas fuerit; honorificà eos conſalutatione proſequi, ſubſiſtereque etiam, dum præterierint.

XV. Univerſum hoc cultio-

ris

ris humanitatis genus, inprimisque illud quod in sermone versatur, moderare debent, tempus, locus, ætas, personarum dissimilitudo. Ac ferè negotiosi homines prolixis elegantiarum lautitijs perungendi non sunt, decurtandæ illæ, & signo magis quàm verbo exprimendæ.

XVI. Ut opifices, atque infimæ plebis homines, solicitare non debet exquisitæ urbanitatis cura in Patricios ac Magnates, magis id studere eos æquum est, officio illos & obsequio ut colant; sic proprium est Nobilitatis, humanitatem in ipsos facilitatemque adhibere, fugereque omnem arrogantiæ culpam ac speciem.

XVII.

XVII. Majorem ſeu ſalutes ſeu viſas, quod ibi locorum his muneribus ſolemne erit, quod perſonarum varietas depoſcet, id uſurpa; ſeu manus illi oſculandæ erunt, ſeu veſtis ora, ſeu dexteræ tuæ libato oſculo ſubmittendum corpus, & conquiniſcendum honoris causâ, ut quodque horũ, inquam, mos patrius, perſonæ, tempus, locus requirent. Ante rem, ſi quid optimum factu ſit, incertus eris, à conſultis conſilijs expete.

XVIII. Viris gravibus colloquens, corpus tibi ne adminiculato, oculos in eorum ora ne defigito, propiùs ne accedito, paſſus circiter unus interjectus eſto,

XIX. Ad

XIX. Ad ægrotum ubi adieris, extemplo medicinæ ignarus, Medicum ne agito,

XX. Viros existimatione florentes, cùm literas ad eos dabis, cùm alloquêris, sic compellabis honoris causâ, ut mos patrius atque ipsorum dignitas postulat. Scriptas jam literas relege, ut erratis perpurges, pulverem, ubi opus erit, insperge; nec nisi literis probè desiccatis chartam complices, utne deformentur.



CAPUT IV.

Compellandi, monendi, carpendi, salibus utendi forma ac ratio.

DOCUMENTUM I.

QUæ ad viros illuſtres adhibendæ ſint honorificæ compellationes, earum, tempora, mores patrij, autores ſunto; interpretes autem, viri communis vitæ gnari & experientes. Sed enim quæ in ſermone ritè adhiberi cœptæ erunt, dum, cùm iiſdem ſermo habebitur, variè alijs ne commutentur.

II. Non ſic ſplendidæ, ſed vulgarioris fortunæ homines cùm alloquimur, vulgari quidem

dem ac vernaculâ linguâ (nam Latinæ sua quædam severior majestas atque augustior est) compellamus plurativo numero blandiusculè, Vos, vobis; non Tu, tibi, nisi puerulus fortè sit quicum loquimur, multò nobis ætate inferior, feratque hanc liberiorem compellationem, nobilium ac politiorum loquendi usus. Patrum tamen in liberos certam ad ætatem (ac passim in Gallia usque dum patriâ potestate exierint) sancta hæc authoritas est, Tu, tibi, te, cum illis vernaculè usurpare, sine inurbanitatis nota liberè ut audeant possintq;. Par scholæ Magistris in suos pusiones, par esse videtur authoritas

ſimili jure alijs id-genus præſidibus: Ad intimos & familiares quod attinet mos patrius liberiorem illis nonnuſquam tutiſſandi inter ſe poteſtatem facit, alibi ſanctiùs prohibet.

III. Qui in rem, quod poteſt, quod debet, facit; eſto, res optatis tuis non reſpondeat, tamen eum ne carpas: Laudari enim, quàm vituperari dignior eſt.

IV. Moniturus, reprehenſurúſve quempiam, circumſpice diligenter, clàm, palàm, iſto an commodiore alio tempore, immò & quo genere verborum fieri id par ſit; maximè ubi quis aliàs monitus, nec præteritis, nec futuris erratis remedium adhibet.


bet. Ante cætera, seu mones, seu reprehendis, absit iracundia, vocisque contentio impotens, contraque omnis moderatio animi adsit & placiditas.

V. Enimvero quisquis te admonuerit, quo idcunque modo, loco, tempore faciet, amicè & cum gratia accipe. Pòst, si culpa vacabis, ac necessariò tibi purganda videbitur, licebit sanè, ita facias, sed cum hac cura, ut in tempore bonoque modo; magis ut rem ei probes, ac de ea molestiam eximas, nominatim si in ejus es cura & potestate, quàm ut te excusatione defendas.

VI. Nulli vitia exprobres, ne naturæ quidem; nec volupta-

ti ducas, verbis factísve quemquam pudore suffundere.

VII. Nec gravi, nec probrosa in re, dictis ludito. Si cavillari placet, ne morde, ne lacera ut canis. Sales sint in re nati, venusti, acuti, nulli odiosi aut acerbi. Facetiæ, ne, quod scurræ amant, indignis ex rebus, vel inverecundis actionibus risum quærant. Si quid lepidè argutum, si festivum, dices, risum alijs permittens, risum contine.



CA-

CAPUT V.

Vestitus, cultusq; corporis.

DOCUMENTUM I.

NE sis ut fœmina comptus, Cæsariem, capillum, barbam, impensius ne cures. Vnguentis te atque odoribus ne perfundas. Galerum, neque adductum altius, neque in oculos reductum depressius, nec Thrasonico fastu compostum geras.

II. Præsentibus alijs, ne ligulis te astringe, ne relaxa, neu ad requisita naturæ te compara. Naturæ ut servieris, si cibus dehinc contingendus est, manus elaua, at si fieri potest, alijs haud præsentibus. III. Sani-

III. Sanitatis vnà & munditiæ intereſt, manè lecto ſolutum faciem manúsque abluere; tum in tempore caput pectere, dum ne curioſius, & ad delicias id fiat.

IV. Non ſint ſordidæ, laceræ, pulverulentæ, depilatæ veſtes. Semel ferè in dies ſingulos, ſcopulis depurgantor. Quin ubi ſedeas, ubi in genua procumbas, quò corpus applices, videto; ne aut puluere aut qua aliâ immunditiâ locus horreat. Pallium ſub alas, baſilicam ad pompam, ne ſubſtringito. Seu togam autem, ſeu pallium tibi eximes, complicato ea decenter & compoſitè, atque ubi deponas, etiam advertito.

V. Ge-

V. Genus vestium id ama, quod tui compares honesti modestique usurpant, habita prudenter locorum temporumque ratione. Enimverò id hîc etiam age atque opta, inter æquales tibi, ut vestium cultus simplicior ac modestior sit potiùs, quàm aut opulentus magis aut apparatus.

CAPVT VI.

Incessus, sive unius secum, sive unâ plurium.

DOCUMENTUM I.

FAc cùm incedis, gressu eas nec concitò effusè, nec languidè inerti, non ore diducto; non

non promicanti, non datatim nutanti corpore, non pendulis manibus, non jactatis succussisque brachijs; non pedum plantis terram validè compulsantibus, non variè immissis, non valdè projectis pedibus, non terram converrentibus. Sunt & hujus decori partes; tibialia passim in incessu haud adducere, non summis niti pedum articulis, non subsultim tolutimve, ut in chorea, non corpore incurvo, non prono capite, non saltuatim, non calcaneis sese incursantibus ingredi, non extra templum capite aperto progredi, nisi si religio id jubet; ut cùm sanctissimum Sacramentum foràs per viam est prosequendum.

II. Ne pavi instar magnificè te circumspice, pulchrè an comptus sis, calceatus commodè, tibialia recentésve aliæ vestes benè an corpori sedeant. Pedem è cubiculo ne effer, scriptorio calamo aut ori indito, aut auriculæ imposito. Omitte & flores, talésve amœnitatum delicias, auribus, pileo, galero præfixas circumferre. Sudariolum ne manu præferto, nec pendulum ex ore, è zona, sub axillam congestum, in humeros immissum, sub toga abditum: loco illud habeto, unde nec aspectabile sit, & præstò expromi possit, ubi usus erit. Idem nisi mundum, & propè adhuc intactum abs te, alteri ne offeras.

III. Seu solus seu comitantibus alijs, per vias esitando ne incedas, præcipuè in civitatis luce publicâ. Ne domi quidem, alieno tempore comede, præsertim coram alienis hominibus.

IV. Solus tecum ne ride, ne colloquere. Non sunt enim hæc sapientis. Nec solus per viam cantu te exhilara, unde alij rem percipiant. Non te efferas mirantis specie, tanquam magnũ aliquid animo volutes. In via, ligna, lapides, res, reculásve id genus alias, ut missilia ne jactes. De industriâ, saxa pedibus ne collidito, ne emoveto. Stultorum enim negótia sunt ista. Non te inferas capite arduo, non depresso.

so,

ſo abjectiùs, non contorto ineptè aut in dexteram, aut in lævam; non oculis huc illucque hiantibus.

V. Inprimis ſi honori tuo conſultum vis, cum bonis ambula. Si id non potes, quia aut non noſti, aut quâ aliâ de causâ, ſolum te eſſe atque ire, quàm cum malis, eſt optatius.

VI. Si cum æquali tuo gradetis, in eum principatum tibi ne arroges; ne ambitioſæ anteceſſionis delicias ſecteris, neu, ſi locus tibi pro dignitate delatus non erit, indoleſcas. Sin dignior eſt comes, dextrum tibi eum, certè honoratiſſimo loco ſtatue; ac, dum vnà itis, cave gradu eum prævertas.

VII. Domo si solo comite-uno spatiaberis, atque is erit, cui honorem debeas, eum primo ambulationis ingressu ad dexteram colloca; nisi cùm substiterit, ne intersiste; prior ambulationem ne converte; ipsa in conversione vultum non humeros ad eum adverte. Si celsâ erit & illustri dignitate, gradum cum eo penitus ne æquato; tantillum reductus eum prosequere, sic tamen dimensè ac modicè, tecum ut commodè sermonem conferat. Si compar tibi est, ambulationis spacia pari cum eo nutu dimetire; prior ne semper te converte; ne in medio incessu crebrò interiunge, nisi cùm illu-

stris

ſtris neceſſitas rem excuſabit. Res enim iſta & principatum præ ſe fert, & moleſtiam creat. Qui inter ſtipantes medius ambulat, ſi fortunâ & dignitate pares utrinque ſunt aut penè pares, alternis ambulationem convertat, hinc ad dexteram, indè ad ſiniſtram; ſin diſpares ſunt, digniorem verſus ſeſe, plurimùm convertat. Denique qui eum cingunt, ſemper ad eum, & cum eo, non antè aut pòſt, ſe convertant; quippe ipſe ambulationis metator

eſt.



CAPVT VII.

Congressus ipsi & Colloquia.

DOCUMENTVM. I.

IN hominum doctorum graviumque congressu, levicula in sermonem ne inducito; nec apud indoctos subtiliora, quàm ut intelligant, aut quæ difficulter inveniant. Sententias crebrò ne eloquere, præsertim apud æquales, minimeque apud eos, qui dignitate antecellunt; nec tempori item vel auditoribus aliena. Inter epulas, festáve tempora, tristia ne commemorato; non diritates plagarum, non immunditiarum spurcitias, non mortis tædia: quin, si de his sermo aliun-

de

de inductus erit, tu, si potes, industriè commutato. Somnia, nisi intimis familiaribus, ne referto, eaque tùm, cùm illustrem rerum significationem dare videbuntur, cui fidem tamen ne habeto.

II. Non est hominis bene instituti, de rebus suis gestis, de ingenio, virtute, cæteris ejusmodi laudum nominibus gloriari, quin imò de sua aut suorum nobilitate, divitijs, honoribus, nisi coactus non loquetur. Idem se, haud temerè, in sermone admodum deprimet.

III. Ubi risui locus non est ibi cavillari, & jocari velle importunum est. Ne rideas effusè,

nec indecorè, nec ſine idonea cauſa, tantúmve ideo, more tuo ut rideas. Ex aliena calamitate riſum ne captes, etſi riſui per ſe opportuna eſſe videatur.

IV. Neminem injuriosè appelles, neque joculo neque extra jocum. Neminem verbis perſtringas, neminem ludifices, hominum præſertim antecellentium, tametſi ab eo cauſam acceperis.

V. Ne ſis moroſus & difficilis, ſed comis & liberaliter officioſus, priorque alijs ſalutem dicere occupa. Sermonem accipe & redde; nec te conde in receſſum, cùm in vitâ communi humanè congredi & colloqui oportet.

VI. De

VI. De nullo, de nullius rebus, ullá ratione detrahe. Etiam cùm laudas, modum tene.

VII. Colloquijs, consiliísve ne te immisceas, quibus gratúsne intervenias, tibi incertum sit. De rebus, si autoritate princeps non es, sententiam, nisi rogatus, ne dicito, præsertim non in tempore, neque utilitatis spe allucente. Rogatus, sermonem confer in pauca, matureque ad rei caput accede.

VIII. Si qui ullâ de re duo contendunt, neutri, nisi quid coget, accedito. Quod sentis, ne pertinaciter defende. In rebus, quæ ad sentiendum liberæ sunt, quæ pars sententiarum numero est superior, eam complectere.

IX alien-

IX. Alienis culpis censorem te & reprehensorem ne appone. Est enim id Magistrorum, Patrum eorũ qui præsunt, proprium munus. Potes tamen alienum præ te ferre. Potes interdum, prudenti ratione, opportuna in rem monita delinquentibus adhibere.

X. Aliorum labes ac maculas, tametsi naturâ insint, maximè si in facie insident, curiosè ne despicias, neu causas sciterîs, unde extiterint. Quod in aurem amico fidenter dicturus esses, præsentibus alijs silentio preme.

XI. Quæ lingua tibi ignota est, aut non probè percepta, eâ ne sermocinêris, nisi in re necessaria,

ſaria, ut animi tui ſenſa intelligentiùs exprimas. Patrio ac gentili idiomate utere; non inconditè ut fæx populi, aut ut ancillare abjectum genus, ſed ut politiores atque optimates cives tui & cultè & eleganter. Inprimis caſtè loquere ac verecundè, ſubturpicula ipſa, nec clam alteri in aurem, nec liberiùs quaſi per luſum verniliter funditans. In ſermone de rebus altis & ſublimibus, fac vilia & plebeja verba tibi ne excidant.

XII. Ne eloquere, niſi re priùs cum animo tuo cogitatâ expenſaque, quotidiano in ſermone verborum circuitione ne utere, argutias & emblemata ne

quære. Voluente aut lapſante linguâ verba ne involve; contrà, ne loquere tam lentè & cunctanter, ut faſtidium crees.

XIII. Dum quis alius loquitur, cave auditores tuâ causâ ab eo defluant; tu audi facilis & attentus, non oculos aliò intorquens, non aliud agens. Si ductim quiſpiam & quaſi reſtitans loquitur, tamen ei, velut loquēti ſubſerviens, verba ne ſupple, niſi hoc te roget, aut privatim res agatur, ſitque ipſe de intimis tuis & perfamiliaribus, neque interpella autem, neque ei reſponde, quoad loquendi ipſe finem fecerit.

XIV. Dum colloquio intervenis

venis, ne percontáre, ecqua de re ſermo inductus ſit; habet enim id ſpecimen autoritatis. Precare potiùs urbanè & comiter, ut qui cœptus erat, eum, qui habebant, pertendere ne graventur, ſi ideo conticuiſſe eos ſenties, quia tibi deferunt. Contrà, ſi quis colloquenti tibi intervenit, præſertim vir ſpectatus & gravis, eſt è rationibus decori, ſermonem habitum compendio referre; deincepsque totum pertexere atque exequi.

XV. Nihil ore, oculis, manibus faciendum indecorè, quò, res quæ dicitur, exprimatur. Nec verò tenenda brachia ſunt aut in tergum reducta, aut complica-

plicata decussatáve. Inest enim in his corporis gestibus plus quiddam authoritatis. Sed sustinenda ea ratione modoque, ut manus, altera alteri adjecta, coram adversæ sint, paulò infra pectus, aut ad zonam deductæ. Zona ipsa nec prælarga, nec præarcta sit; depressa immodicè aut surrecta. Inter verba, etiam adverte quàm compositè corpus moveas. Quo in genere nec caput motes, nec manibus mices, & firmo in vestigio consiste.

XVI. Sic habeto, inconcinnum esse, inter loquendum pileum ori aliúdve quicquam prætendere; chartam aut quæcumque alia mansitare, capite mica-

re

re; cubitos collidere unum in pedum collocare ſeſe, tibiarum alteram alteri tranſverſam inducere.

XVII. Eum, de quo lóqueris, digito ne monſtra; ad ejus autē, quicum lóqueris, ne vultum, quem vereri inprimis addecet, nec perſonam propiùs accede.

XVIII. Duobus unà pluribúſve inter ſe ſermocinantibus ſi quem ſeorſum conventum velis, paucis rem expedi; nec quod dicere habes, in aurem ei dicito; ſed, ſi arcana res erit, ſeduc eum ab alijs paululum. Si potes nihilque prohibet, colloquere idiomate, quod qui circumſtant, probè noverint.

XIX. In multorum communi congressu, privatim ne uni atque arcanè colloquitor; verùm de re hujusmodi differ eum in tempus alterum, nisi tu fortè cæteris præsides.

XX. Intempestivè velle adire & colloqui, perinde est, atq; agendo nihil agere; aut si quid agis, eos quos sic velis, si adeas, molestiâ & indignatione complere.

XXI. Hominum cum hominibus comparationes devita; ideoque si quis rei bene gestæ aut virtutis prædicatione laudatur, tu coram eo de eadem virtute alterum ne lauda. Omnis enim comparatio odiosa est.

XXII. No-

XXII. Novis de rebus dissipatos, sermones narrare alijs, facilè animum ne inducas, nisi veros esse certâ authoritate cognôris. Nec cùm audita refers, authorem memores, quin gratum ei id fore jure existimes. Quod secretò audis, tecum habeto, atque alteri ne dixeris.

XXIII. Si quid narrabis, leges, ratione differes, longus ne esto, tum maximè, cùm aut res ipsa parvi momenti est, aut sentis eam parum auditoribus gratam esse.

XXIV. Noli esse in alienis rebus curiosus, & ubi, qui inter se conferunt, arcanò colloquuntur, eò ne accede.

XXV. Quod efficere atque exequi non potes, in id operam tuam ne deferas; quod spoponderis verò, id serva atque præsta.

XXVI. Quæ legatio obeunda tibi erit, quæ relatio, quę authoritas, eâ fac tranquillè prudenterque defungâre, sive illa tibi ad plebejos homines sive ad optimates sustinenda erit.

XXVII. Interea, dum Præsides tui cum alio verba faciunt, cave aut fabuleris, aut rideas, aut aurem ijs, quæ inter eos dicuntur, admoveas.

XXVIII. Ne musses, ne gannias.

XXIX. Quod nescis certò, tanquam certum ne asseveres.

XXX. In-

XXX. Inter majores maximeque eos, qui cum imperio tibi præsunt, non interrogatus ne eloquere. Eloquuturus consurge, ac nudato capite paucis responde; nisi & sedendi & caput velandi potestas facta tibi fuerit.

XXXI. In concertationibus, maximè quæ in communi vita occurrunt, ne sis vincendi adeò cupidus, ut non alijs suas quoque dicendi partes liberas relinquas. Seu jure autem, seu injuriâ contendas, par est acquiescere te authoritati aut pluriū, aut contentiosiorum. multóque magis eorum, qui vel tibi vel disputationi præsident.

XXXII. Lacessitus verbo, vel injurio-

injuriosè appellatus, neque respondes, neque te defendas; magis rem joco elude, aut tanquam ea te modicè tangat, ita te ostende; esto, multi ad jus tuum defendendum te vocent; certus, *non omni dicto responso opus esse*.

XXXIII. Non cujuis sermoni pugnaciter resistas, contentiosè ista opponens, *Non sic res habet, ita habet, uti sentio dicoque*. Alieno judicio sta; ijs potissimùm de rebus, quæ sint an non sint, haud magni interest.

XXXIV. In communi etiam tuorum æqualium, congressione ne blatera ut planus & circulator, sed loquere modicè & opportunè, quam diu se aliquid dat,

quod

quod tum ſit ad rem, qua de agitur, tum certum tibi atque exploratum. Nam de re, quam non teneas, ſermonem inceptare, eóque oſtenſo & incepto excuſare caducam rei memoriam, quam tu legiſſe tamen certò ſcias, frigida & invenuſti exempli excuſatio eſt.

XXXV. Te addecet compoſitum honeſtâ gravitate, quid alij dicant, animum attendere, ſubinde ne iſta turpiter quærites, *Ecquidnam dicis? quî geſta, inquis, res eſt? fugerunt me quæ dixiſti,* aliáſve id genus ineptias inculces.

XXXVI. Si quid narrare occeperit quiſpiam, non obtundas narranti

narranti, id jam te scire: ei rem nō apprimè rectissimè narranti, ne abnutes, neu contrà nictes, aut risu illudas. Multò minus dici æquum est. *Non sic res habet: falleris.*

XXXVII. Vocem nec contende ut præco; nec tam demitte, ut quoad par est, nec exaudiaris.

XXXVIII. In deambulationum congressionibus, ne temerè ut freno socium inhibe, tertio quoque verbo eum demorans. Nec tam vicinum ei te applica, ut cubito pulses; nec plus palmo circiter ab eo te abjunge.

XXXIX. Annum in pangendis proœmijs, in excusationum conqui-

conquisitarumque elegantiarum delicijs ne pone, quale exemplum. *Amabo, ô colendum caput, ignosce si haud satis cultè, satis idoneè rem dicturus sum: Obsequendi tibi studio plus etiam enitar, quàm efficere possim;* aliique ejusdem modi odiosi & insipidi præfationum circumductus. Verùm quoad rectè fieri & commodè potest, à reipsa ordire, exorsusque ingenuâ animi æquitate ac fiducia, imperturbato orationis tenore, sermonem contexe ad extremum. Id quod dum agis, ne longus esto, ne digredere frequenter; ne unum aliquem loquendi modum crebrò inculca.

XL. Qui impeditiore est lin-

guâ

guâ, is ne ambitiosè ſemper loquatur, id operam det, ut quod linguæ deeſt, ſilentio & auditione ſuppleat.

CAPUT VIII.

Decorum in menſa.

DOCUMENTUM I.

PRimùm. Manus tibi lava munditer; tum cum eo, qui menſæ benedicit, ſacras preces reſponſando reciproca. Si, qui menſæ bene precetur, alius non adeſt, tu ipſe benedic: ſed quod ſuprà dictum eſt, arrecto in pedes corpore, & capite aperto.

II. Menſæ accumbens, corpus ne ſcalpas: pari cura à ſputando,

tando, tussiendo, mungendo, tibi, quoad potes, tempera; si qua te horum necessitas urgebit, aptè & decorè ei servias, tum quàm minimo strepitu, tum vultu nonnihil subducto atque averso.

III. Ne ut lurco, ut helluo, sic edas.

IV. Panem partire, non manu, sed cultro, nisi permodicus panis recensque sit, quem manu partiri, convivæ omnes aut plerique; instituant.

V. Non te immittas in mensam ad cubitos usque, neque qua in sede resides, ei aut humeris aut brachijs ineptè incumbas.

VI. Fartim ne edas, expletis ambabus malis.

VII. Panem vino ne insucces, nisi aut summâ domi authoritate sis, aut valetudo tua rem excuset.

VIII. Neutiquam ostendas, aut dapes aut vinum egregiè palato tuo arrisisse. Sed si domus ac mensæ moderator, de his aliquid te poscit, responde modestè & prudenter. Cave etiam attentiùs, ne cibos eleves, neu alios, pluresve in mensam inferri cures.

IX. Salem è salino carpturus, culter ne unctus sit, vide; cultrum autem aut fuscinulam cùm detergere opus erit, aut panis frustulo, ut alicubi usus est, aut, ut alibi, mantili aptè id fiet; certè,

tè, non ad totum panem pingui affrictu.

X. Si quem convivio excipis, ei te decet cibos honoris causa dispartiri ac porrigere, etiam illum liberaliter ijs impertiendo, qui coram eo sint. Sin te alius convivio excipit, præstat expectare te, dum epuli Dominus, aut ejus nomine alius quispiam cibis te participet, quàm tu tibi manu eos præsumas; nisi aut familiaris inter candidè amicos epulatio sit, aut qui epulum dat, ultro à convivis sibi & gratiæ apponi petat, omnes ut liberè, non expectatâ alienâ manu de mensa sumant, uti domi suæ suo arbitratu. Est & prudenter ac

modestè officiosi, domi alienæ; ubi authoritate non valeas Chironomi munus haud usurpare; quod tamen non usurpes audacter, sed factites cum laude, ubi in frequenti convívis mensa, oculus manúsve Domini impinguáre omnes non potest, ideoque partem curæ suæ, tacitè aut disertè, longo in convivarum ordine illo, libens voléns que alijs trânscribit.

XI. Cibos ne perfla, sed si calidiores erunt, expecta, dum defrigescant. Iusculum quidem temperari potest modestè, sensim cochleari illud commovendo: at de scutula sorbêre illud ad mensam, vel combibere, non cochle-

cochleari sibi in os indere, invenustum est.

XII. Cibos ad mensam ne olfacito; & si quos fortè olfeceris, dehinc convivis cæteris ne apponito.

XIII. Pané, unctis digitis, adipato contactu ne perunge; eum secturus ante tibi manus deterge si unctæ erunt. Proinde cave, ne manus cõspurces, aut digitos per ungas, & ubi cochlearis ac fuscinulæ copia est, ijs ut decet, atq; bene educatorum mos est, utere.

XIV. Si panem carnésve in embamma intingis, quod præmorderis, ne iterum intinge; moderatum frustum sit, quod in singulos intinctus condimento

imbuis, quodque unâ bucceâ confici totum queat.

XV. Non sunt deijcienda sub mensam, non jactanda in terram ossa, putamina, vinum, alia generis ejusdem. Excipiuntur, quæ mansu dura ac nauseosa despúere necessitas cogit; neque hæc talia tamen sine aliquo decoro ore ejectantur. Sunt eorum exceptores digiti duo, manúsve sinistra compressa belle ad excipiendum simul ad occludendúmque. Quod si res liquida ac fluens erit, tùm despuitur in terram liberiùs, sed, quod ante est annotatum, vultu, si integrum erit, subducto interim atque averso in latus.

XVI. Est

XVI. Eſt & decóri munditijs alienum, prunorum, ceraſorum oſſa durata, talémque reliquam aliunde materiem in patellam inſpuere. Siniſtrâ, quod proximè dictum eſt, ori admotâ venuſtè primùm excipiantur, tum ſuper quadrâ ſeorſum deponantur.

XVII. Ne ruſticè cum cultro in manu, ſimul eâdem cibum tibi in os ingere.

XVIII. Quæ alijs appoſita ſunt fercula, ea circum oculis ne perluſtra. Dum bibis, dum te obeſcas, oculos ne ſuſtolle.

XIX. Panem multum ſectione unâ ne conſcinde; ne conſeca in cruſta quadráſve grandes, ſed in exiguas vel mediocres.

Eundem æquabiliter ſubſeca, ob eámque rem, neque ut foſſis in eo lacunis, excava, neque ut exénterans, ſolam micam exíme, aut ſolam cruſtam defringe, ſed ambas unà ſuccíde. Neque autem panis bucceas ſemper appoſito orbe aut patella concide.

XX. Si, quòd dentibus es imbecillis, panis cruſtam mándere non potes, vel ſi ambuſta illa aut prædura ſit, tamen conſultiùs videtur, cruſta ſingula pro ut ea conſecas, quàm totum ſolidè panem cruſtâ deſectâ diſtringere.

XXI. Inſulſa res eſt, in offam, in pulpamenta, quaſi arcuato in ea corpore, inclinatum propendêre; ſat eſt modeſtè incumbere

non-

nonnihil, dum jure aut aceto intincta buccea è mensa in os carpitur, ne liquente succo vestium sinus conspurcetur. Hac re provisâ, caput illico surrigendum est.

XXII. Sunt & suis temporum intervallis referendi inter mensam à cibis, à patinis oculi; non tamen idcirco aut circumferendi vagè, aut in convivas, in mensæ ministros, in aliena fercula defigendi.

XXIII. Fœdum apprimè est, mappas dapali unguine inquinare; horridius etiam madentem sudore vultum, nasi proluviem, orbes, patinas, mantili detergére.

XXIV. Quod delibâris, idem è manu seu vinum, seu quid aliud alteri ne porrige.

XXV. Manus dapum succo & liquamine perfusas pani ne affrices, toti præsertim & mole aliqua solidè integro, quòd si lautiùs perunctæ erunt, possis ut quidem videtur, primùm ad panis turundam, quam mox ori ingesturus sis, eas defricare, tum mantili perinundare, quod ijs jam detersis, minùs fœdetur. Ac necesse ut hoc sit, eveniet rariùs, si eleganti politorũ more cochleari ac furcillâ ritè uteris. Diligentiùs etiam à lambendis digitis abstine; ac maximè sonoro cum stlopis eorum linctu.

XXVI.

XXVI. Cùm vesceris, cùm bibis, dentibus ne concrepa; sorbendo absurdè, mandendo clariùs, aut alio quovis modo.

XXVII. Ossa suctu avido, cum sono præsertim ne suge, ne exsucca; ne carpe utraque manu, sed sola una ac venustè, ne canũ more arróde, sed manu una prehensis ac fere digitis duobus, carnes cultello exime; medullam ne ad panem, ad lances incussis ijs ossibus excute; sed eam placidè cultro, si potes, exime. Omnino sapientibus non placet ossa manibus tractari, ac multò minus in os immitti.

XXVIII. Duriora quæ sunt, ut ossa carnium fructuúmve,

cultro ne frange, ne disseca; ne dentibus, ne alia ope comminue sed intacta relinque.

XXIX. Communi è ferculo, quod socio obversum ac sub manum est, id ne usurpa; id sume, quod tibi adjacet, nec quàm alij luculentiùs. Ac si fructus erunt, si res consimiles, eas ad delectum curiosè ne attrecta. At enim quibus commune tecum ferculum est, ij quid sumant, ne attende.

XXX. Buccella buccellæ succedat, in stomachum jam trajectæ. Tales bucceæ sunto, quæ malas immodicè non inflent. Manu una cibum ori admove, ac ferè dextrâ.

XXXI. Scyphum paterámve, ne

ne sic vino coróna, ut in mensam exúberet.

XXXII. Dum in ore adhuc buccea est, ne bibe. Potum autem ne posce, ne loquere, ne vinum tibi infunde, ne bibe interea, dum bibit qui tibi assidet, aut qui in mensa summus omnium est.

XXXIII. Dum bibis, aliò ne transpice.

XXXIV. Ne perlentè bibito, ne præfestinè, ne ut vinum commanducans, ne frequentiùs, ne vinum merácum. Nam hæc talia potatorũ sunt atque ebriosorum. Sub potum atque à potu labra tibi extérgito, at neque à potu neque unquam aliàs, qua-

si

ſi animâ oppreſſa, denſum & cum ſtrepitu exſpira. Eſt enim res factu quàm indecóra.

XXXV. Si quis pocula tibi miſcet, ſcyphum ſolâ manu unâ ſuſtine hauſtum eundem interrupté ne ébibe; naſum cyatho in amœnâ cupidine penitus ne im merge; totum quod infùſum erit, ſi combibere unà non potes, depone in hauſtum alterum, aut ſi quis miniſtrator à tergo adeſt, ei in manum tranſde. Quare intereſt, non plus tibi unâ infundi ſinas, quàm quod ſemel poſſis perbibere; maximè ſi per menſæ morem tibi integrum non eſt ſcyphum cum eo quod ſuperaverit, coram ad manum tibi aſſervare. XXXVI

XXXVI. Dentes ne mappâ aut mantili, ne digito; cultro, furcillâ, ne quod putidissimum est, vnguibus perpurga; sed dentiscalpio. At mensa in ipsa dentes tibi scalpere, si alij id non factitant aut si eleganter instituti in more non habent, haudquaquam convenit.

XXXVII. Vino os ne collue, quod mox propalam despuendo ejectes, verùm mensâ solutus; manus cum cæteris lavare unà assuesce. Certè palàm os colluere, elegantiæ alienum videtur; Quare & cùm ad mensam polubro subjecto aqua manibus datur, solas lavare manus addecet.

XXXVIII. Non eſt præſtabile admodum, atque hodie obſolétum videtur, menſæ ſocios, crebrò præſertim atque importunè invitare, ut appoſitis epulis ſeſe exhilarent. Neſcio quo pacto enim, epulandi libertas dum fieri eis videtur, magis tollitur. Minùs te condecet, quoties bibas alijs propinare, quòd ſi te alij poculis invitant, potes modeſtè rem deprecari, gratiam habendo, téque victum atque imparem confitendo, aut verò referendæ gratiæ, vinum libare tantùm; præcipuè ubi præbibendi gratioſus mos eſt, & niſi par gratia redhibetur, offenſio naſcitur.

Digreſ-

XXXIX. Digreſſus è menſa, dentiſcalpium neque ore contine, neque auri crede, utroque inconcinniùs facit, qui collo appenſum gerit.

XL. Statim à menſa ne obdormiſcas: magis potu ac cibo ita te réfice, neceſſe ut non ſit, curam indè omnem, ſeriam etiã & gravem intermittere.

XLI. Juvat, quicunque cibus appoſitus ſit, de eo reliqui ſemper aliquid in patella relinquere; obſoniorum inprimis, quæ majore copia illata fuerint. Ne alia quidem tam peredenda ſunt, ut pane pátina, aut cochleari ſcutella, immundâ perediâ detergeatur converraturque quippe gulæ

gulę & voracitatis signa sunt ista. Contrà, convenit inquam residui superesse aliquid, éstque res commendabilis, magna in ciborum varietate, non qui delicatissimus sit, eum invadere, sed vulgarioribus contentum esse.

XLII. Simul alij edendi finem fecerint, fac & tu tibi modum, neque tum verò laxis brachijs mensæ incumbe, sed solis manibus extremam contingito.

XLIII. Haud convenit cibum cum cibo commiscére, multóque minùs incoctas herbas aut esculentum aliud de scutella, eximere, quo super quadram aut in catino frigescant, vel tu tibi seorsum ijs vescaris.

Nimi-

Nimirum isthæc nauseam cernentibus inducunt.

XLIV. Tum inter epulas ijs remotis, mantile, quadram, panem, cultellum, sic dispositè in rem aptabis, ut convivæ aut plures, aut principes exemplo erunt; nec, quod domi soles, alieno in convictu nimiopere retinebis. Appáret inolevisse jam morem, cùm mensa removenda est, panem, cultellum, fuscinulam, super orbem quadrámve statuendi, mantili desuper iniecto.

XLV. Est principis in mensa, atque in summo accumbentis, mantile primò explicare, primò in mensam manum porrigere;

cætero-

cæterorum, expectare quietè dum inceptet, nec manum antè quoquam admovere.

XLVI. Vicissim est ejus qui præsidet, tempestivè occipere, providere attentè omnibus, convivas sermonibus mulcêre, mensam claudere, sed tam intra modum, ut lentissimo cuiq; suum sit vescendi omne tempus. Teneat se interim, si opus erit, escis leviter degustandis, aut ubi colloquendi est usus, conserendis amœnis sermonibus, usque dum omnibus sit exempta fames atq; edendi cupido.

XLVII. Quicquid epulis intervenerit, nihil irâscere; ira incitatus, tamen eam comprime,

ac

ut ne se efferat; nominatim si extranei tecum accumbunt.

XLVIII. Ne accumbas in loco principe; sed si is te decet, aut qui domi princeps est, ita omnino vult, ne tantopere, obnítere, toti ut cœtui molestus sis.

XLIX. Inter mensam; si lectio, si sermocinatio erit, fac attentus sis; ac si tibi loquendum fuerit, vide ore vacuo ut id facias.

CAPVT IX.

Ministerium mensæ.

DOCUMENTUM I.

POsteaquam lavandis manibus aquam affuderis, scito tibi

bi dictam esse legem, deinceps dum mensæ ministras, caput non scalpendi, non excreandi, quoad tu quidem abstinere potes, non tussiendi, manúsque & mundas, & exertas præferendi.

II. Ubicunque aut sternútas aut despuis, averte te in latus; ne aut glutias autem, aut in ore asserves, quód exspui opus est.

III. Dapes inferens aut efferens è mensa, caue cuipiam potanti imprimis aut brachium contingas aut humeros impellas. Cautiùs etiam id vide, ne cui vestes commacules. Quanquam autem diligenter circumspicere te oportet, ne quid convivis desit, aut num quis eorum signo te aliquid

aliquid moneat, non debes tamen oculis in eorum vultu habitare, perinde ut si, quid edant, numero adnotes.

IV. Cùm poſcentibus, aut pocula in manum offeres, aut aquam miſcebis, præſertim præſtabili dignitate cuiquã, teſtare honorem, quoties id feceris, mox, ut biberit, cyathum aquâ collue.

V. Cùm panem menſæ ſupplêbis, ne manu eum comportes, ſed menſario orbi impoſitũ, & terſo, & ne panis ſubſultet, etiam æquabili; tum aſtitue convivis loco idoneo.

VI. Lances ſcutuláſve plures duabus, ſuam quaque manu,

unà ne importes, ac si calebunt plus æquo, lancem alteram orbémve eis supponito. Defer autem recto libratas æquamento, ut ne quà invergas effundásve. Patinam, dum de ea cibus adhuc sumitur, à vescentis oculis ne rémoue; expecta, dum à se eam removeat, aut eam ut tollas, tibi innuat.

VII. Salinum, primum ad mensam statui, extremum tolli, usus ferè obtinet.

VIII. Scyphos relaturus plures quàm duos trésve unâ operâ ne effer; digitos intrò ne immitte, sed pede ab imo eos carpe.

IX. Ne cirneas, ne ampullas ad mensam vitreas, maximè si

vino

vino servient, ad summum imple, ne vinum effundatur.

X. In eximendis patinis, ne montis instar alias alijs impóne, nominatim si penitus deplétæ non sunt. Multò insuavius est, in convivarum oculis alias in alias deplére; Nauseosum quippe & stomachosum est; sed ut sedant in mensa, ita eas exporta.

XI. Remotis epulis; capaci in lance, aut eleganti & splendido in canistro analecta colliguntur mũditię causa. Salino seorsim dempto, cultris, cochlearibus; fuscinulis super orbe compositis, atque in canistrum immissis, mappa denique convolutis unà panis fragmentis, si jam exempta non erunt, colligitur.

XII. Curantur &, cùm sic usus est, nitida in lance dentiscalpia, denique laxo linteo; desupérq; polubro mensa sternitur, aqua manibus datur, primúmque ex ordine ei, qui cæteris antestat; mantile adijcitur, unum ei, qui præest omnibus, si unus erit, atque ei proprium; cæteris ab eo suum in commune alterū, polubrum ad eos adducendo, sic, ut duo trésve conjunctim unà manus applicare ad id possint.

XIII. A mensa, aut ministerio mensæ, est ingenuè ac nobiliter instituti, honorem habere, convivis, pileo sibi detracto, aut qua optima ratione aliâ, pro ingenio gentis, aut loci usu.

CA-

CAPVT X.

Nocturnus decubitus.

DOCUMENTUM. I.

FAc in tempore lectum ineas; enimverò non nisi Deum sincerâ fide ac pietate antè veneratus, transactæ diei ratione tecum positâ susceptàque melioris vitæ voluntate.

II. Vestibus ante aliorum ora ne te spolies. Has sic compone unà, ut omnes postridie manè tibi ad manum sint, quin inspice eas aliquando, atque inquire in eas, útque opus erit, aut succussando aut scopulis depurgando, eas permunda.

III. Sic decumbe, ut compositus modestè atque undique opertus jaceas. Non dormias supinus pronúsve, sed alterutrum in latus.

IV. Dormi & indusiatus semper, hoc enim & pudor exigit, & lex decori, & casus incerti, ad quos, si qui ingruent, expeditior sic eris.

V. Vbi diluxerit, non desideas in lecto, neque restites, sed surge impigrè, vestes indue, atque è cubili ocyus exscende.

HUcusque super *Vrbanitate* sua, ac Christiana Morum Temperantia Astiologus; quæ

quæ ut Principis more, nunquam sola per forum ambulat, ita in suo maximè comitatu *Modestiam* secum & *Verecundiã* circumducit, nobile sororum par, ac vel sua indole dignum, cui omnis Adolescentia in occursum erumpat. Et gratulari sibi herclè Juventus potest; ad quam trium hic tam illustris Gratiarum chorus divertit. De quibus verò quid jam ab antiquo etiam, vel sanctior Patrum schola, vel ceterus eruditioris ævi Senatus, censuerit jusseritve, addam hîc, Lector, bonâ veniâ tuâ, & velut sacrum apud te Epimetrum deponam.

EST, *si Theologum* consulis *Modestia* hæc, &, si mavis *Verecundia*, velut quædam omnis Decori mater, quo sicut Artifex decempedâ suâ terram, ita omnes illa in Homine *Mores* & *Actus* metitur, ac ceu in lineam *Honesti* vocat: ut nec loqui adeò, nec gradi possis cum laude, nec quidvis agere aliud, nisi *Modestiæ* magisterio; quæ si nescis, ex mentis & affectuum quos vocant tranquillâ malacia, ceu pulchrum è flore germen pronascitur.

Super ea sic.

Ambrosius 1. *off. Cap. XLV.*

Teneamus igitur *Verecundiam,*

diam, & eam, quæ totius vitæ ornatum attollit, *Modestiam*. Non enim mediocre est, rebus omnibus servare atque impartiri ordinem, in quo verè prælucet illud, quod *decorum* dicitur, quod ita cum honesto jungitur, ut separari non queat.

Cap. XLVII.

Si quis igitur æquabilitatem universæ vitæ, & singularum actionum modos servet, ordinem quoque & constantiam dictorum atque operum, moderationemque custodiat; in ejus vita *decorum* illud excellit, & quasi in quodam speculo elucet. Accedat tamen suavis

ſermo, ut conciliet ſibi affectum audientium, gratúmque ſe vel familiaribus, vel, ſi fieri poteſt, omnibus præbeat, neque adulantem ſe, neque adulandum cuiquam exhibeat. Non deſpiciat, quid de ſe unusquíſque, & maximè vir optimus ſentiat. Hoc enim modo diſcit bonis deferre reverentiam.

Hujus ejusdem virtutis actus & officia pulchrè deſcribit S. Ephrem. lib. de virt. & vitijs cap. de temperantia: Temperantia, *Modeſtiæ* freno linguam temperat à convitijs, & execrationibus abſtinet, non delectatur vaniloquio, unum in alterum, calumniando & obtrectando,

ctando, non commovet, secreta celat, & silentio aliena conterit. In gloria *Modestia* cernitur, quando quis ita mentem moderatur, ut nec honoribus, nec dignitatibus, nec laudibus aucupandis vincatur. In cogitationibus cùm quis timore Dei, blandas ardentésque cogitationes reprimit. In cibis, quando nec delicatioribus quis delectatur, ne extra præfinitum edendi tempus cibum appetit, horámque anticipat; nec dapum varietatem & pulchritudinem avidè requirit In potu, quando non immodicè, non solùm vino, sed nec aquæ quidem potu fruitur.

Iterum Ambrosius Cap. XIX.

Delectavit me diutiùs in partibus demorari *Verecundiæ*, quia ad vos loquebar, qui aut bona ejus ex vobis recognoscitis, aut damna ignoratis. Quæ cùm sit omnibus ætatibus, personis, temporibus, & locis apta; tamen adolescentes juvenilesque annos maximè decet. In omni autem servandum ætate, ut deceat quod agas, & conveniat, & quadret sibi ordo vitæ suæ.

Verecundia in ipso quoque corporis decore eminet, ita tamen, ut etiam ipse non sit affectatus decor corporis, sed naturalis, simplex, neglectus magis

magis quàm expetitus, non preciosis & albentibus adjutus vestimentis, sed communibus, ut honestati vel necessitati nihil desit, nihil accedat nitori. Vox ipsa non remissa, nihil fœmineum sonans, qualem multi gravitatis specie simulare consueverunt, sed formulam quandam ac succum virilem reservans.

Hoc est pulchritudinem vivendi tenere, convenientia cuique sexui & personæ reddere. Hic ordo gestorum optimus, hic ornatus ad omnem actionem accommodus. Sed ut molliculum & infractum, aut vocis sonum, aut gestum

corporis non probo, ita neque agreſtem & ruſticum. Naturam imitemur. Ejus effigies, formata diſciplinæ, forma honeſtatis eſt.

Et mox. Cap. XX.

Habet ſane ſuos ſcopulos *Verecundia*, non quos ipſà invehit, ſed quos ſæpe incurrit. Si intemperantium incidamus conſortia, qui ſub ſpecie jucunditatis venenum infundunt bonis: Hi ſi aſſidui ſunt, & maximè in convivio, ludo, ac joco, enervant gravitatem illam virilem.

Caveamus itaque, ne dum relaxare animum volumus, ſolvamus

vamus omnem harmoniam, quasi concentum quendam bonorum operum. Usus enim cito inflectit naturam.

Accuratius adhuc. Cap. XIIX. supradicto.

Pulchra virtus *Verecundiæ*, & suavis gratia, quæ non solùm in factis, sed etiam in ipsis spectatur sermonibus ne modum progrediaris loquendi, ne quid indecorum sermo resonet tuus. Speculum enim mentis, plerumque in verbis refulget. Ipsum vocis sonum libret *Modestia*, ne cujusquam offendat aurem vox fortior. Denique in ipso cavendi genere, prima disci-

disciplina *Verecundia* est, imò etiam in omni usu loquendi, ut sensim quis aut psallere, aut canere, aut postremò loqui incipiat, ut verecunda principia commendent incessum. Silentium quoque ipsum, in quo est reliquarum virtutum ocium, maximus actus *Verecundiæ* est.

Est etiam in ipso motu, gestu, incessu tenenda *Verecundia* Habitus enim mentis, in corporis statu cernitur. Et vox quædam animi est, corporis motus. Meministis filij; quendam amicum, cùm sedulis se videretur commendare officijs, hoc solo tamen in Clerum à me non receptum, quòd gestus ejus pluri-

plurimùm dedęceret. Alterum quoque, cùm in Clero reperissem, jubere me, ne unquam præiret mihi, quia quodam insolentis incessus verbere, oculos feriret meos. Nec fefellit sententia. Uterque enim ab Ecclesia recessit, ut qualis incessu prodebatur, talis perfidia animi demonstraretur. Lucebat in illorum incessu, imago levitatis.

Sunt etiam qui sensim ambulando, imitantur histrionicos gestus, & quasi quædam fercula pomparum, & statuarum motus nutantium, ut quotiescunque gradum transferunt, modulos quosdam servare videantur.

Nec

Nec cursim ambulare honestum arbitror, nisi cúm causa exigit alicujus periculi, vel justa necessitas.

Est gressus probabilis, in quo sit species auctoritatis, gravitatisque pondus, tranquillitatis vestigium. Ita si studium desit atque affectio: sed motus sit purus ac simplex. Nihil enim fucatum placet, motum natura informet. Si quid in natura vitij est; industria emendet: ut ars desit; non desit correctio.

Quod si etiam ista spectantur altiùs, quantò magis cavendum est, ne quid turpe exeat. Hoc enim graviter coinquinat hominem.

minem. Non enim cibus inquinat hominem, sed injusta obtrectatio, sed verborum obscœnitas. Hæc etiam vulgo pudori sunt. In nostro verò officio, nullum verbum, quod inhonestè cadat, non incutit *verecundiam*. Et non solùm nihil ipsi *indecorum* loqui, sed ne aurem quidem debemus hujusmodi præbere dictis; sicut Joseph, ne incongrua suæ audiret Verecundiæ, veste fugit relicta: quoniam quem delectat audire, alterum loqui provocat.

Similia D. Gregorius in Pastoral.

Intus est custodia, quæ compo-

posita servat exterius membra, qui ergo statum mentis prodidit, foris in inconstantiam motionis fluit, atque exteriori motu indicat, quod nulla interius radix subsistat.

S. Bernardus super Cant. serm. 86.

Quid amabiliùs Verecundo adolescente? quàm pulchra, & quàm splendida gemma, est *Morum Verecundia* in vita & vultu adolescẽtis? quàm vera, & minimè dubia bonæ spei nuntia, bonæ indolis index? Virga disciplinæ, expunctrix malorum, propugnatrix puritatis innatæ, specialis gloria conscientiæ, famæ custos, vitæ decus

cus, virtutis ſedes, virtutum primitiæ, naturæ laus, & inſigne totius honeſti.

Neq; aliter judicavit Tullius.

Qui poſtquam 1. *Rhet.* dixiſſet; *Modeſtia* eſt, per quam pudor honeſtatis puram & ſtabilem comparat authoritatem. Officia ejuſdem ingenioſo calamo ſic deſcripſit. Sit ſ[illegible] *lib. 1. off.* lenis minimèque pertinax. Neque verò tanquam in poſſeſſionem ſuam venerit, excludat alios, ſed cùm reliquis in rebus, tum in ſermone communi, viciſſitudine nonnunquam utendum putet: ac videat inprimis quibus de rebus loquatur: ſi ſerijs, ſeveritatem adhibeat. Si jocoſis,

jocosis, leporem. Inprimis provideat, ne sermo vitiũ aliquod indicet inesse moribus; quod maximè tùm solet evenire, cùm studio de absentib, detrahendi caussa, aut per ridiculũ, aut severè, aut maledicè, aut contumeliosè dicitur. Habentur autem plerumq; sermones aut de domesticis negotijs, aut de republica, aut de artium studijs, & doctrina. Danda igitur opera est, ut, etiam si aberrare ad alia cæperit, adhæc revocetur oratio. Sed quoniam in omni vita rectissimè præcipitur, ut perturbationes fugiamus, id est, motus animi nimios, rationi non obtemperantes: sic ejusmodi motibus sermo debet

vaca-

vacare, ne aut ira existat, aut cupiditas aliqua, aut pigritia, aut ignavia, aut aliquid tale appareat. Maximéque curandum est, ut eos, quibuscum sermonem conferimus, & vereri, & diligere videamur.

Seneca verò lib. de 4. Virt.

A verbis turpibus abstineto: quia licentia eorum imprudentiam nutrit. Sermones utiles magis, quàm facetos & affabiles ama; rectos potiùs quàm obsecundantes: miscebis interdum serijs jocos, sed temperatos & sine detrimento dignationis & *Verecundiæ*. Nam reprehensibilis risus est, si immoderatus. Si pueriliter effusus, si muliebriter fra-

ctus

ctus. Odibilem hominem facit risus, aut superbus aut elatus, aut malignus, furtivus, aut alienis malis evocatus. Si ergo tempus jocos exigit, hoc cum dignitate sapientiæ gere: non erit tibi sterilis, sed grata *urbanitas*. *Vrbanitas* tua sine dente sit. Joci tui sine vilitate, risus sine cachinno, vox sine clamore, incessus sine tumultu, quies tibi non desidia erit.

Idem in eodem.

Non sis aliorũ curiosus scrutator, neq; acerbus reprehensor, sed sine exprobratiõe corrector, ita ut admonitionem hilaritate prævenias, & errori facilè veniã dato, nec extollas quemquam, nec deijcias: requirenti facilè respon-

respondе, contendenti facilè cede, nec in jurgia execrationésve discedas.

Idem in eodem.

Rari sermonis sis ipse, sed loquentium patiens: severus ac serius, sed hilaris, non asperans.

Valerius Maximus. lib. 4. cap. 5.

Verecundia parens est omnis honesti consilij, tutela solemniũ officiorum, magistra Innocentię chara proximis, accepta alienis, omni loco, omni tempore, favorabilem præ se ferens vultum.

Ad hanc virtutem cœlitus impetrandã sequenti Deum formula implora. Domine Jesu Christe, cui tanta, dum viveres, inerat *Modestiæ* pulchritudo, ut Apostolus, 2. *Cor.*

Cor: 10. per *Modestiam* tuam ac *Mansuetudinem* ad virtutem nos hortatus sit, quæso te, Voces, Motus, & gestus nostros universos, sanctæ *Moderationis* hujus virtute exorna; & ab eis, quicquid minus est decens, clementer remove; ut in his externis indicijs, Munditia hominis interioris eluceat, & dū interiús exteriúsq; benèsanctéq; cōpositi esse adnitimur, has dignissimas laudes in cordibus nobiscum conversantium accendere valeamus & conservare, Amen.

Καρπὸς δὲ ἀγαθός ἐστιν εὔτακτος βίος.

Fructus autè Bonus est, Bene Composita Vita.

FINIS.

Menda sic emenda.

Prolog. in med. amussi. Fol. 3. lin. ult. lege dehinc. f.7. lin.15. l. viam. f.10 lin. ult l. Moum. fol. 13. lin. 16. lege Venustum.

